



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Disputatio XXXVIII. De sacramentali satisfactione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

fatisfactionis, non respōdet nostris operibus aliqua remissio temporalis pœnæ. Confirmatur: quia hæc ratione nō meretur homo de condigno bona temporalia, nisi quatenus necessaria sunt, & aliter obtineri non possunt. Vade si homo indiget re temporalis, quam emere, v.g. potest, non est cur per sua merita velit extraordinarie illam à Deo obtinere: sic ergo, cum possit homo hanc pœnam proprio, & statuto precio redimere, non est cur alia via de condigno illam mereatur, nec censeri debet facere quod in se est ad hanc remissionem obtinendam, donec proportionalem pœnam soluat. Deniq̃ confirmatur: quia alias per secundam contritionem, vel vñ actum charitatis posset homo, licet nō per modum satisfactionis: saltem per modum meriti, obtinere remissionem totius pœnæ temporalis: quia si merendo augmentum gloriæ, meretur ablationem impedimenti, solum quia videtur quid inferius, eadem ratione meretur ablationem totius impedimenti: nam totum illud est etiam inferioris rationis.

Supereft ergo, vt dicamus ex opere proprio ipsius operantis non esse aliam viam certam, & ordinariam ad consequendam remissionem pœnæ, præter condignam satisfactionem. Quod satis quidem cōsonum est, tum diuinæ iustitiæ vindictiæ, vt sicut commutatiua postulat meritum, ita vindictiua satisfactionem exigat, nec vna cum altera confundatur: tum etiam diuinæ prouidentie ordinantis satisfactionem hanc ad animæ curationem, vt saltem timore pœnæ homines à peccando abstineant, quod remedium valde redderetur inefficax, si aliis remedijs posset homines facile sine condigno labore, & dolore, talis pœnæ remissionē obtinere. Et per hæc rationibus dubitandi in principio positi satisfactū est. Accedit ad hæc, quod ex opere operato multis aliis modis fit remissio huius pœnæ, præsertim per sacrificium missæ, & aliqua sacramenta, & ideo necesse non est alios modos remissionis ex opere operantis multiplicare. Supererat hic dicendum de satisfactione vnus pro alio, sed hoc dicitur commodius infra, de suffragijs disputando.

DISPUTATIO XXXVIII.

De tertia parte materiali huius sacramenti, quæ est sacramentalis satisfactio.

Expediimus præcedenti disputatione quæ ad satisfactionem pertinent, vt potest esse actus, vel effectus virtutis Pœnitentiæ: nunc breuiter de illa dicendum est, vt est pars sacramenti, & habet sacramentalem effectum. Quæ disputatione in duas distingui posset, vt altera veluti speculatiua doctrinam, quæ ad esse ipsius sacramenti pertinet; altera moralem, quæ pertinet ad præcepta, contineret: tamen, quia materia breuis est, & hæc duo valde sunt inter se connexa, illa breuiter in hac disputatione complectemur.

SECTIO I.

Vtrum satisfactio sit pars necessaria huius sacramenti.

Primum omnium certum est, posse confessorem imponere pœnitenti pœnitentiam aliquam in satisfactionem pro peccatis. Hoc coarsit ex perpetuo vsu Ecclesiæ, qui ex Patribus, & Concilio colligitur, vt ex Leone Papa epistol. 89. capite secundo Augustin. de Vera, & falsa pœnit. capite decimo & decimoquinto, Cypriano libro primo epistola tertia & ex alijs, quos præcedenti disputatione retuli,

Poss. confessorem imponere pœnitentiam in satisfactionem. Leo Pap. August. Cypri.

Et ex Conc. Cautilon. i. c. 8. Cautilonenf. 2. c. 45. Maguntino i. cap. 32. & ex cap. Deus, & c. Dispositionem, quæ in Pœnit. d. i. cum alijs, quæ ibi, & d. 50. Gratianus congerit; & ex cap. Omnis virtus, quæ de Pœnit. & remiss. Et alia refert Burehard. hb. sui decreti & sequentibus, & Marianus, Victor. proprio opere de hæc, vbi late explicat antiquam historiam de publicis, & solemnibus pœnitentibus: quanquam enim non constet, omnes illas sacramentales fuisse, certum autem est ex vsu huius sacramenti mansisse. Deniq̃ in Cōc. Florentino, & Tridentino hoc expressius, quam in cæteris definitur. Ratio vero duplex ex supra dictis colligitur. Prima est: quia hoc sacramentum fertur per modum iudicij, in quo non semper tota pœna gratis remittitur, & ideo ad iudicium illius spectat, equitate seruata, iudicium ferre, delictum vindicare, & pœnam imponere. Et in hunc modum exponit Tridentinum verbum Christi, *Quodcumque ligaueris*, & illud, *Quæ res meritis, retenta sunt*, vt latius in sequenti videbimus. Secunda ratio est, quia hoc sacramentum est medicina: nam in eo non solum vindicta, sed præcipue correctio pœnitentis intenditur, & ideo imponi debet satisfactio, quæ sit pœnitentia medicinalis, & accommodata ad præseruandum à similibus delictis.

Ex hoc principio colligitur, hanc satisfactionem à sacerdote impostam, & applicatam virtute clauium esse partem huius sacramenti. Ita definiunt Concil. Florent. & Trident. & consentiunt omnes Theologi: Et ratio est: quia pertinet ad perfectionem, & integritatem huius iudicij; sicut in omni iudicio, ad vindictiuaum iustitiæ rationem, punitio rei est pars illius iudicij. Et eadem ratio locum habet, si sacramentum hoc consideretur vt perfectæ medicina peccati. An vero, vt hæc satisfactio sit pars sacramenti, necessarium sit sub præcepto imponi à sacerdote, vel satis sit applicari ab illo, quanquam arbitrio pœnitentis relinquatur, in sequenti latius dicemus probabile enim est, quodcumque horum sufficere, vt Diuus Thomas docuit quodlib. 3. ar. 28. an etiam imponenda sit hæc pœnitentia ante, vel post absolutionem infra dicam.

Difficultas vero supereft: an possit hæc pars dici essentialis, vel tantum integralis: Palud. enim d. 16. q. 1. in fin. contendit esse essentialem, & quædam argumenta congerit parui momenti, & fortasse de nomine disputat. Dicendum ergo est, hanc partem esse integram, non proprie essentialem. Priorem partem docuit D. Thom. supra qu. 90. artic. 2. & 3. & Efficaciter necessario colligitur ex d. c. is, præsertim supposita posteriori parte: est enim hæc pars materialis: ergo essentialis non est, oportet saltem esse integram. Posteriorē vero partem docent fere reliqui Theologi dist. 16. Capreol. qu. 3. artic. 3. in fin. Soto. dist. 17. q. 1. artic. 3. Cano. dist. Relect. part. quinta, & alij, qui de hac materia scribunt. Et probatur, quia hoc sacramentum vere conficitur, & confert gratiam ante satisfactionem expectam (vt etiam Paludian fatetur) sed nulla res incipit esse absolute sine parte essentiali, vt ex Philosophia constat, & in successibus etiam verū est, quidquid Palud. dicat. Quod si forte dicatur, tunc saltem haberi satisfactionem in proposito, & hoc modo esse essentialem. Respondetur, primum sub quæstione esse, an hoc propositum necessarium sit, de quo infra dicam, & saltem est certum non semper esse necessarium: quia interdum potest perfici hoc sacramentum nulla satisfactione imposta: & deinde illud propositum magis pertinet ad contritionem, quam ad satisfactionem, nisi de nomine sit quæstio. Denique ratio à priori est: quia hæc pars non ordinatur ad primarium effectum huius sacramenti, qui est culpa remissio, sed ad secundarium, qui est remissio pœnæ temporalis. Ex quo plane intelligitur, hanc partem nō esse de necessitate simpliciter huius sacramenti: an vero sit de necessitate præcepti

cepti tam ex parte poenitentis, quam confessoris in-
fra dicam.

SECTIO II.

An hæc pars habeat aliquem effectum ex opere
operato.

Primum omnium statuendum videtur, habere
hanc partem aliquem gratiæ effectum ex opere
operato: quæquam enim hoc expresse definitum non
inueniam, tamen ex modo loquendi Conciliorum,
& Theologorum, & ex principio supra posito vide-
tur satis colligi, quia si hæc satisfactio nullum effe-
ctum haberet virtute clauu, non esset maioris vir-
tutis, & efficaciat satisfactio sacramentalis, quæ non
sacramentalis, quod est absurdum; neq; etiam esset
vlla ratio cur pars sacramenti appellaretur. Vnde
confirmatur: quia hæc actio aliquo modo procedit à
potestate soluendi & remittendi peccata, sacerdoti
per confessionem subiecta, & ideo ex Christi insti-
tutione applicatur merita eius, & satisfactio spe-
ciali modo per hanc partem sacramentalem. Quod
indicat Trid. sess. 14. c. 3. dicens, Confessionem, Con-
tritionem, & Satisfactionem esse partes, quatenus
ad plenam, perfectamq; remissionem peccatorum
ex diuina ordinatione requiruntur. Deniq; si hæc est
pars sacramenti, necesse est, vt significacionem ali-
quam propriam, & sacramentalem habeat, ac sacra-
mentalia signa nouæ legis sunt efficacia, id enim e-
ficiunt quod significant: ergo necesse est vt hæc pars
aliquem proprium effectum habeat ex opere opera-
to, illum scilicet, quem sacramentaliter significat.

Difficultas vero est, quis sit hic effectus. Et de duo-
bus, aut tribus potest esse questio: primo de remis-
sione poenæ temporalis: nonnulli enim Theologi
sentire videntur, hanc satisfactioem non remitte-
re poenam ex opere operato, sed tantum ex opere o-
perantis, quanquam in hoc genere maioris meriti,
& satisfactioem sit: quia fit ex præcepto sacerdotis. Ita
Soto dicit. 19. quæst. 1. art. 5. Ledesma quæst. 12. art.
3. dub. 4. indicat Adrian. quæstion. 2. de Satisfactio-
ne, in solutionibus argumentorum. Hæc tamen o-
pinio nullum habet fundamentum, quare nec pro-
babilem esse censo. Dico igitur, proprium, & maxi-
me indubitatum effectum ex opere operato huius
satisfactioem, esse remissionem alicuius poenæ tem-
poralis præter illam, quæ respondere posset ex ope-
re, seu merito operantis. Hæc est communis Theo-
logorum sententia d. 15. & 16. quos infra referam la-
tius. Idem D. Thom. quodlib. cit. Caiet. Tom. 1. O-
pusc. tract. 6. q. vlt. Cano. supra, & Sor. d. 20. q. 2. ar. 3.
videtur idem docere. Et ratio est: quia hæc pars po-
tissimum instituta est ad remissionem poenæ tem-
poralis, vt constat ex omnibus dictis in disp. præce-
denti, & Conciliis citatis: ergo per se primo institui
debit ad remittendam hanc partem ex opere operato.
Et confirmatur, quia totum hoc sacramentum est
institutum ad remissionem peccati: sed hæc pars non
ordinatur ad remissionem culpæ: ergo ad remissio-
nem poenæ: ergo aliquid poenæ remittet ex opere o-
perato. Tandem confirmatur, quia hæc pars hunc
maxime effectum significat, nam est quædam puni-
tio peccati, & commutatio poenæ vitæ: sicut in talem
poenitentiam: ergo maxime significat remissionem
illius poenæ: ergo illam efficit ex opere operato, iu-
xta illud principium, quod sacramenta nouæ legis
efficiunt, quod significant. Dices, hunc effectum cõ-
munem esse omnibus sacramentis. Respondetur,
incertum hoc esse (quanuis pie credatur) nulli autẽ
quasi per se & ex directa institutione sua conuenit,
sicut poenitentia, maxime ratione huius partis.

Secunda, & magis dubia difficultas est, an hæc pars
conferat ex opere operato aliquam gratiam gra-
Fr. Suarez. tom. 4.

rum facientem, multorum enim sententia est, non
conferre, quam indicat D. Tho. in 4. d. 16. q. 1. artic. 1.
questiunc. 2. ad 3. tenet ibi Palacios q. 1. Et potest hæc
opinio suaderi primo: quia hæc pars solum instituta
est ad remissionem poenæ, ad quem effectum non
est necessaria infusio gratiæ, sicut per sacrificiũ mis-
sæ remittitur poena, licet non infundatur gratia. Se-
cundo: quia per vnum sacramentum, vna gratia sa-
cramentalis datur; hæc autem in hoc sacramento
conferetur quando fit absolutio. Tertio: quia alias
sola satisfactio posset facere ex attritu contritũ. Ni-
hilominus contrariam sententiam tenet aperte S.
Tho. supra q. 90. art. 2. ad 2. vbi Caiet. id notat, & se-
quitur, Soto d. 17. q. 1. ar. 2. circa finem. Et potest eti-
am probari primo: quia sacramenta nouæ legis cau-
sant gratiam: ergo, cum hæc satisfactio sit pars sacra-
menti, aliquid gratiæ conferet. Secundo potest ita
explicari: nã, si homo tempore, quo absoluitur, ex-
hibuisset omnia satisfactioem opera, & esset melius
dispositus ad sacramentum consummandum, ma-
iorem effectum gratiæ ex opere operato acciperet,
vt constat ex doctrina de Sacramentis in genere: sed
satisfactio, licet, tempore posteriori fiat, tamen mõ-
raliter coniungitur cum aliis partibus, vt vnum sa-
cramentum cum illis constituat: ergo totum illud
sacramentum conferet maiorem gratiam, atque a-
deo aliquid gratiæ per satisfactioem infundetur,
quod antea datum non erat. Tertio est bona conie-
ctura: quia hæc satisfactio non solum est in vindictã,
& remissionem poenæ, sed etiam, ac precipue in cu-
rationem, & medicinam: sed ad hunc effectum ma-
ximè necessaria est gratia: ergo. Hæc res mihi dubia
est: quia pendet ex institutione, quæ nulla sufficienti
autoritate habetur, & coniecturæ pro vtraque parte
probabiles sunt, & facile etiam solui possunt: tamen
in re incerta placet ad hæc parte favorabili, præ-
fertim cum D. Thom. auctoritas intercedat. Et mihi
saltem verũ videtur, dari ex opere operato per hanc
satisfactioem sacramentalem aliquam gratiam, id
est, auxilium aliquod præseruans, seu adiuuans ad
emendanda peccata: quia, cum propter hunc finem
primario instituta hæc pars, non videtur dubium
quin illi sit data virtus adiuuans hunc finem. Et hinc
etiam sit probabile, dari aliquam gratiam gratum
facientem: quia in sacramentali effectu semper hæc
duo coniuncta sunt, vt constat ex doctrina de Sacra-
mentis in genere.

Tertio circa virtutemque effectum, præsertim circa
priorem dubitari potest quando conferatur, & quã
necessaria sit ad illum satisfactio. In quo est opinio
Alensis 4. p. q. 8. membr. 2. art. 3. afferentis, statim ac
satisfactio imponitur à confessore, incipere habere
suum effectum, antequam executioni mandetur:
quia ipsamet actio sacerdotis habet aliquam effica-
ciam circa hunc effectum. Sed obseruandum est, ne
forte sit questio de nomine, supposita dispositione
poenitentis, & acceptatione, & proposito implendi
satisfactioem impositam, probabile esse & verum,
vt supra dixi, per ipsamet absolutioem sacerdotis
remitti ex opere operato non solum culpam, &
æternam poenam, sed etiam aliquid poenæ tempora-
lis. Et hoc modo certum est, ratione sacramenti su-
scepti remissus puniri hominem in purgatorio, et-
iam si moriatur antequam impositam poenitentiam
exequatur. At vero, si post datam absolutioem, ma-
net alicuius poenæ reatus, illa sine dubio nec tollitur
ne minuitur ratione satisfactioem imposita, donec
integre, & ex parte exhibeatur. Et ratio est clara: quia
sacramentum non habet effectum suum ex opere
operato, donec ipsa suscipiatur: neque pars eius
proportionem seruata. Circa hoc tamen cauenda est
alia extrema sententia Adriani. q. de clauibus 1. dub.
2. circa finem, dicentis, ita esse necessariam sacramẽ-
talem satisfactioem semel impositam ad tollendũ
reatum in sacramento relictum, vt in hac vita per a-

ras gratiæ
gratum fac-
cientem.
D. Tho.
Palac.

Vera sententia
S. Thom.
Caiet.
Sor.

Quando in
sua gratia
conferatur.
Alensis opi-
nio.

Alia opinio
Adr.



An teneatur confessor imponere satisfactionem penitenti.

Dico primo, Per se loquendo, tenetur confessor satisfactionem imponere. Ita colligitur ex Cōc. Trid. sess. 14. c. 8. & ex c. Omnis viri usque. Erratio est primo: quia tenetur integrum facere sacramentum penitentis, & ut iudex, & quietatem servare: unde, cum iudicet inter Deum, & hominem, sicut debet absolute hominem dispositum, ita curare debet, ut homo satisfaciat Deo. Vnde colligitur, hanc obligationem ex genere suo gravem esse, cum ad integritatem sacramenti, & religionem Deo debitam, pertineat.

Dico secundo, Non tenetur semper confessor ad imponendam penitentiam per modum precepti, sed potest interdum applicare penitentiam, si penitens velit illam assumere, vel solum consilium, ut faciat. Hæc conclusio supponit in primis, confessorem posse satisfactionem precipere, quod mihi certum est: quia Concilium Trident. ita interpretatur potestatem ligandi, ut latius dicam infra sect. 7. Et hinc fit sæpe posse teneri ad imponendam hoc modo satisfactionem, si causa & penitentis conditio hoc requirat: imo censeo hoc esse regulariter, & frequentius servandum propter rationes factas. Supponit deinde satisfactionem posse etiam imponi, seu applicari sine obligatione sub illa forma quali conditionata, Si hoc feceris, tibi servat in satisfactionem, ut supra cum S. Thoma docuimus, quia hoc satis est, ut illa satisfactio eleuetur per virtutem clauium: sicut indulgentiæ concedi etiam solent simili modo, quæ applicatio ad claves suo modo pertinet. Et hinc concluditur, posse interdum hoc modo imponi satisfactionem, vel totam, vel partem eius, prout confessor iudicaverit magis expedire penitenti: nam, cum hæc satisfactio medicinalis sit, accommodari debet dispositioni penitentis, ut sapientiam infra dicemus. Et hæc sententia colligitur ex Dno Thoma quod li. 3. artic. 28. Palud. d. 28. q. 2. ar. 2. Petro Soto lect. 2. de Satisfactione. Victor. in Summa ubi. 210. Ledesm. quest. 11. art. 3. dub. 14. Et ita potest intelligi quod idem Ledesm. 1. p. 4. q. 31. ar. 2. opinatur, spontaneam penitentiam, pro peccatis confessis assumptam, posse esse partem sacramenti, id enim solum potest esse verum, si sit aliquo modo applicata per confessorem: quia alias nullo modo fundaretur in virtute clauium, neque esset pars sacramenti.

Sed contra obiicit potest primo: quia quando sacerdos non præcipit satisfactionem, non exercet actum iurisdictionis: quia non ligat: ergo non potest illa satisfactio habere effectum ex virtute clauium, nec esse pars sacramenti: ergo confessor non satisfaciendo suo muneri imponendo illo modo penitentiam. Secundo: quia vel penitenti est satisfactio necessaria: vel non: si est necessaria, debet illam præcipere: si non est necessaria, non debet illam applicare, aut imponere vilo modo. Tertio: quia alias, per illa verba, quæ post absolutionem dicere solent confessores, Quidquid boni egeris, & c. omnia bona opera penitentium fierent satisfactoria ex opere operato, & videtur absurdum. Sequela autem patet: quia omnia illa applicantur dicto modo, licet non præcipiatur. Respondetur ad primum, negando maiorem: quia non solum est actus iurisdictionis præceptum imponere, sed etiam penitentiam designare applicando illam ad effectum sacramenti: nam indulgentiarum concessio actus iurisdictionis est, licet præceptum non includat. Vnde imponeo illo modo penitentiam sacerdos etiam ligat, & soluit: ligat quidem

Improbatur Perr. Sot. Ha opera satisfactoria tolli nõ possit. Quæ sententia nec est vera, nec probabilis, ut recte Petr. Soto lect. 2. de Satisfactione: quia impositio penitentia sacerdotis nõ abstulit vim suam aliis operibus satisfactoriis, & licet penitens teneatur satisfactionem implere, tamen, si vel non possit, vel antequam vergeat tempus obligationis, alia opera faciat, per illa purgari poterit saltem ex opere operantis, vel ex opere operato, si alia sacramenta recipiat.

Hic vero circa hunc punctum quærere potest aliquis, si quis penitentiam impleat, antequam absolvetur, ut olim fieri solebat, & nunc interdum fit, an statim habeat suum effectum ex opere operato, supponendo subiectum esse dispositum per contritionem, & gratiam: videtur enim statim habere: quia illa iam est pars sacramenti, & in virtute clauium nititur. Nihilominus contrarium verum existimo, scilicet non habere effectum ante datam absolutionem: quia sacramentum non incipit habere effectum, donec essentialiter consummatum sit per formam, ut inductione in omnibus patet. Deinde quia hic est secundarius effectus coniunctus alteri principali, qui est culpa remissio: sicut ergo non remittitur pena ante remissionem culpa, ita neque hæc pars potest habere suum effectum ante absolutionem. Denique, potior pars est contritio, & licet præcedat, nõ habet effectum ex opere operato. Illa ergo satisfactio habebit effectum ex opere operantis, postea vero, consummato sacramento, dabitur totus effectus ex opere operato.

Vltimo dubitari potest, an qualibet satisfactio imposita habeat hunc effectum, & in qua proportione. Quidam enim dixerunt, etiam si minima penitentia imponatur, illam remittere totum reatum pena, quantumcumque sit: quia Deus reliquit sacerdoti potestatem commutandi penam purgatorij in aliquam satisfactioem impositam; & ideo, si quis illam impleat, iam nihil debere: quia iam sustinuit penam à iudice impositam. Quam sententiam indicat Glossa in c. Mensuram, de Penit. d. 1. Addit vero, hoc maxime procedere, si penitens bona fide procedat, vel si confessor sit iudex ordinarius, & velit in reliquo dispensare. Quæ omnia sunt voluntaria, & sine fundamento dicta. Itaque hic dicendi modus non est verisimilis: quia Deus quidem dedit potestatem sacerdoti iudicandi, tamen servata iustitie proportione: non enim fecit illum dominum, sed iudicem, ratio vero iudicij æquitatem postulat: nõ ergo commisit illi, ut suo arbitrio disponderet, sed servato ordine diuinæ iustitiæ: atque hoc magis constat ex dicendis infra lect. 5.

Propter quod alij contrario opinati sunt, si satisfactio sit minima, & improporcionata, nullum omnino effectum habere: quia est iniusta, & intolerabilem errorem continet. Sed hoc etiam verum non est, supposito absolutionem validam esse: quia, si sit sacramentum, illa satisfactio, quanuis minima, est pars illius, & ideo aliquem sacramentalem effectum habere potest. Item, illa satisfactio imposita ligat, id est, obligat, ut impleatur: ergo impleta soluit, ut fit æqualitas. Denique: quia ille error accidentaliter est, si in valore sacramenti non committitur. Quo circa dicendum est, aliquam esse satisfactionem ita proportionatam peccatis, ut si illa imponatur, & impleatur, totum reatum deleat: nam, cum hic reatus finitus sit, poterit adæquari per satisfactionem finitam; unde fit, ut interdum possit satisfactio excedere reatum; interdum possit esse inqualis, & tunc habebit solum ex parte effectum iuxta proportionem, quæ cum ipso reatu habuerit. Iam vero explicandum sequatur quomodo intelligenda sit hæc condignitas, & proportio satisfactoris: rursus quod genus operationis, & quem statum satisfaciens requirat. Sed hæc simul cum præceptis, quæ ad hanc satisfactionem pertinent, commodius explicabuntur.

Quid si penitentia impleatur ante absolutionem.

An qualibet satisfactio habeat hunc effectum quorundam placitum.

Reiicitur.

Opposita opinio etiam improbat.

Verar solutio.

Primo in clauso. Tertio in syllogismo. Tertium.

Secundo Conclusio non tenet imponere per modum precepti.

D. Th. Palud. Per ill. 210. Ledes.

quatenus

quatenus necessitatem huius poenitentiae imponit non simpliciter, sed ad hunc finem consequendi ex opere operato remissionem poenae per hoc sacramentum: soluit autem quatenus facienti talem poenitentiam commutat poenam purgatorij in faciliorem poenam; quam per se, & sine virtute abluuium necessaria esset. Ad secundum respondetur, fieri posse, vt talis poenitentia in ratione medicinae non sit absolute necessaria, sit vero utilis, expediat autem magis hic & nunc illo modo eam imponere, quam sub praeepto, ob dispositionem poenitentis: & tunc, quauis in ratione punitiois fortasse sit debita, id tamen satis non est, vt semper sit necessarium sub praeepto eam imponere, si aliud expediat propter maius bonum poenitentis: aut quia illud debitum non est adeo rigorosum, praesertim quando est ex peccatis venialibus contractum. Denique fieri facile potest, vt aliqua pars poenitentiae sub praeepto, alia sine illo imponatur. An vero interdum liceat omnino relinquere sacramentum hoc sine hac parte, infra dicitur. Ad tertium fere auctores citati concedunt illationem. Et quod attinet ad potestatem, non dubito quin illam habeant confessores: incertum autem est, an per illa generalia verba hoc intendant: quia solum videntur esse quaedam verba de precatoria, quae non indicant actum iudiciale, sed solum orationem ad impetrandum auxilium, quod talia opera digne fiant, ad talem effectum obtinendum. Sed de hoc dicam in fine sectionis sextae.

Dico tertio, Interdum potest confessor absolueri nulla imposta satisfactioe. Ita Caiet. tom. 1. Opusc. q. 2. ar. 2. Nauar. c. 26. nu. 26. Duplex autem est casus, primo quando poenitens est impotens, vt si sit propinquus morti, & praesertim si nihil precipere possit. Et ratio est, quia, cum haec pars non sit essentialis, non est omitendum sacramentum propter in capacitatem poenitentis. Secundo, quando confessor ex ipsa confessione, & ex materia, & signis eius intelligit, poenitentem integre satisfecisse pro peccatis suis. Estque clara ratio: quia sicut aequitas iudicij postulat, vt puniatur debitor; ita vt absoluat qui iam soluit: vnde non est de integritate iudicij, vt imponatur poenitentia, sed tunc solum, quando adhuc intelligitur durare reatus. Denique per contritionem ipsam, & per confessionem homo satisfacit, vnde si interdum illa satisfactio aequa sit, non est alia necessaria. Quamuis contrarium senserit Richard. 1.3. ar. 2. qu. 2. ad 1. nam saltem per modum medicinae vult etiam in hoc casu imponendam esse satisfactionem: sed multo facilius potest cessare haec necessitas: quia fieri potest, vt peccata sint leuia, & speciali non indigeant curatione. Fateor tamen raro posse constare sacerdoti de sufficienti satisfactioe iam facta, & ideo consultius esse aliquam, vel leuem satisfactionem imponere, quod etiam in primo casu fere semper seruare potest, si poenitens percipiat: nam saltem potest vel semel proferre nomen IESVS, vel aliquem bonum motum elicere.

Quando debeat imponi satisfactio, ante, vel post absolutionem.

Quod quaeret aliquis, an haec satisfactio imponi debeat ante, vel post absolutionem. Gloss. enim ver. audire, in Clementina, Dudum, de Sepulturis, dicit esse imponendam ante absolutionem, solum quia in illo textu hoc ordine numerantur, Confessiones audiatur, poenitentias imponat, & absoluat. Sed hoc fundamentum leue est: nam in c. vlt. de Censibus in 6. numerantur contrario ordine, propter quod Glossa ibi tenet contrarium. Veritas autem est, hoc esse arbitrium: quia dummodo moraliter coniungantur haec, & veluti in eodem iudicio fiant, non refert, si alterum antecedit, vel sequatur. Ita Anton. 2. p. tit. 17. c.

20. §. 1. Nauar. de Poenit. d. 6. e. 1. in princ. nu. 35. Consuetudo vero iam fere obtinuit, vt poenitentia prius imponatur, quod licet non cadat sub obligationem, tamen consultius videtur, vt materia, quoad fieri commode possit, supponatur formae, & vt poenitens saltim voto, & proposito satisfaciat priusquam absoluat: sic enim melius ratio iustitiae seruatur. Quod etiam docet Syluest. Confessio, 4. §. 1. & Angel. Confessio, 5. n. 2. An vero poenitentia iniuncta ante absolutionem implenda sit, vel ad hoc possit obligare confessor, dicemus inferius sect. 7.

SECTIO III.

Anteneatur confessor condignam satisfactionem imponere, vel quam mensuram seruare debeat.

Dico primo, nulla est certa satisfactionis mensura lege Ecclesiastica taxata, quam confessor imponere teneatur, sed arbitrio illi vtendum est. Conclusio est certa, quae colligi potest ex Concil. Nicen. c. 12. & ex c. Mensuram, de Poenit. d. 1. & ex multis aliis, quae referuntur 26. q. 7. & ex capit. Deus qui, de Poenit. & remis. & ex August. in Enchirid. capit. 65. quibus locis dicitur, hoc pendere ex arbitrio sacerdotis. Et ratio clara est: quia haec poenitentia maxime ordinatur in bonum, & curationem poenitentis: dispositio autem poenitentis potest esse varia: vnde nec eadem quantitas, nec idem modus poenitentiae potest omnibus expedire, & ideo arbitrio iudicis relinqui debuit.

Sed contra: nam olim erant canonēs poenitentiales, in quibus singulis peccatis certum poenitentiae tempus, & modus taxabatur, & (vt quidam dicunt) septennis poenitentia pro singulis mortalibus praecipiebatur; de quibus aliquid attigit Aug. in Enchirid. c. 67. & Concil. Carthag. 4. c. 74. dum ait, Vt sacerdos poenitentiam imploranti, absq; persona acceptione, poenitentiae leges iniungat, & in capitibus sequentibus alia similia habentur, & multa videri possunt in Burcardo libr. 18. & 19. Decreti. apud Gratianum distinctionibus de Poenit. & saepe alias. Respondetur primo, Illud quod dicitur de septenni poenitentia pro singulis mortalibus, fabulosum esse, nullibi enim extat tale decretum, imo nec illae poenitentiae erant vniuersales pro omnibus delictis, sed pro quibusdam grauioribus, & interdum erant breuiores; interdum diuturniores, relinquebantur etiam interdum arbitrio Episcopi, vt videre licet in Concil. Carth. 3. c. 31. Deniq; in eis magis consulebatur adificationi Ecclesiae, quam necessitati poenitentis. Secundo, non constat illas pertinuisse ad forum poenitentiae: sed fortasse saepe ad externum forum Ecclesiasticum. Et patet: quia interdum erat poena depositionis vel priuationis Ecclesiasticae dignitatis, vel quid simile. Tertio, etiam si aliquae pertinerent ad forum poenitentiae, semper dabatur locus arbitrio confessoris, vt constat ex decretis citatis: vnde illa solum erat quasi regula directiua, vt illam confessor sequeretur, quantum expedire censerent. Quarto iam tota haec consuetudo antiquata est, & ad arbitrium sacerdotis totum hoc negotium est reuocatum. De hac re legi possunt Anton. 3. p. tit. 17. cap. 21. §. 1. Syluest. verbi Confessor, 4. in princ. & quzst. 2. Petr. Sor. lect. 2. de satisfactioe, Soto. 19. qu. 2. art. 5. Nauar. c. 26. nu. 17. & Marianus Vict. dict. Opusc. de antiquis poenitentiis.

Secunda Conclusio.

Dico secundo, Hoc iudicium, & arbitrium confessoris, non est eius voluntati absolute relictum, sed considerata grauitate peccatorum, & dispositione poenitentis, seruataque ratione iustitiae debet.

Concl. 3. Posse dari absolutionem sine satisfactioe. Caiet. Nauar.

Richard.

Gloss.

Anton.

Syluest. Angel.

Prima conclusio. Posse confessor imponere poenitentiam ex arbitrio. Conc. Nic. August.

Obiect.

August. Conc. Carthag.

Solutio.

Concl. Caiet.

Anton. Syluest. Petr. Sor. Soto. Nauar.

Trident

Conc. Mogunt.

proportionatam satisfactionem imponere, prout secundum humanam prudentiam poterit, ut supra explicatum est: & ita colligitur ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. ubi sunt illa verba notanda, *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & penitentium facultate saluatares satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conuincant, & indulgentius cum penitentibus agant, leuissima quadam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes fiant.* Similia habentur in Concilio Mogunt. 2. capit. 31. Et ratio est supra tacta: quia sacerdos est iudex: ergo debet aequitatem seruare. Et confirmatur: quia est veluti medius arbiter inter Deum, & peccatorem: si autem grauissimam poenam imponeret pro leuissimo crimine, iniuriam faceret peccatori: ergo e

potest in quaestionem venire: quia certum est non posse confessori constare hanc satisfactionem esse condignam cum tanta aequalitate, ut nulla possit maior, vel minor iuste imponi: hoc enim excedit scientiam humanam, & ideo certum est, intra aliquam latitudinem posse confessorem paulo maiorem, vel minorem satisfactionem imponere, seruata aequitate, sicut etiam in humana iustitia praeciarum non consistunt in indiuisibili, sed habent latitudinem rigorosi, mitissimi, & medij precij, & in omnibus seruatur iustitia qualitas.

Secundo ergo modo intelligi potest quaestio in ordine ad effectum, id est, an illa satisfactio, quae in re sufficiens est ad tollendam totam poenam, consistat in indiuisibili, an vero in ordine ad effectum habeat eandem latitudinem, quam habet in iudicio confessoris, ita ut omnis poena, quam confessor iuste, & prudenter imponit, siue sit maior, vel minor, siue rigorosa, siue mitis, totam poenam remittat: Multi enim Theologi hoc posterius opinantur, ut Scotus d. 18. quaest. 1. & ibi Gab. artic. 1. notab. 5. & artic. 2. conclus. 7. Maior d. 20. quaest. 1. in princ. Soto quaest. 2. artic. 3. Medin. tract. 2. quaest. 47. de effectu poenitentiae inuicta. Fundamentum eorum est: quia hoc iudicium poenae commissum est homini: ergo debet iudicare modo humano, & iuxta humanam aestimationem. Confirmatur ex differentia inter satisfactionem ex opere operantis, & ex opere operato: in illa enim homo non est iudex, sed reus luens poenas, & ideo ibi datur certa satisfactio in indiuisibili consistens, solum Deo cognita; ac vero in posteriori satisfactione homo est iudex, & taxat poenam condignam, & ideo licet paulo maiorem, vel minorem taxet, erit aequalis eo modo, quo iudicium humanum, & iustitia requirit: atquinquam potest confessor iustum arbitrium ferre in hoc iudicio.

Tertia Assertio.

D. Thom. 2. 2.

Nihilominus dico tertio, Ex rationabili causa propter impotentiam vel fragilitatem poenitentis potest confessor dissimulare, & leuiorem satisfactionem imponere. Ita D. Thomas in Addit. q. 18. artic. 4. Soto d. quaest. 2. artic. 3. & alij communiter. Et ratio est: quia in hoc sacramento magis intenditur salus poenitentis, & eius emendatio, quam satisfactio pro poena: si autem grauior satisfactio imponatur, quam fragilitas, vel conditio poenitentis patiatur, maiori periculo exponitur salus eius, quam si aliquid de poena remittatur. Et confirmatur: quia hoc etiam in maiorem gloriam Dei cedit, qui potissimum vult curationem peccatoris, & alias causa Dei semper manet integra: quia si hic peccator plene non satisfecerit, in purgatorio soluet vsque ad nouissimum quadrantem. Propter quod recte Chrysostom. seu auctor imperfecti in Matthaeum hom. 23. & habetur in capit. *Aligant*, 26. quaest. 7. dicit, confessores semper debere in mitiorem partem inclinare, & condescendere poenitentibus: quia in hoc minus periculi est, quam si grauioribus poenitentis homines deterreant, vel in desperationem inducant, & Nazianzenus orat. 26. circa finem, *Hanc* (inquit) *rationem tenet, ut partim illum corrigas, idq. leniter, & humane, non ut hostis, neque ut durus, & rigidus medicus: & infra. Habes medicinam regulam, Christi discipulus es, mitis, & benignus, qui nostras infirmitates portauit, Quocirca illud praecipue debet attendere confessor, ut satisfactionem imponat, accommodatam curationi, & praeseruationi a peccatis, in quo oportet, ut integritatem, & seueritatem habeat: quod si in hac parte sufficienter peccatori prouideat, quanuis in castigatione remissius agat, nunquam grauius errabit propter rationes factas: & quia in hoc difficilimum est equitatem attingere. Aduerit autem Nauarr. capit. 26. numer. 19. & 20. quando confessor leuiorem multo poenitentiam imponit propter fragilitatem poenitentis, quam peccata eius mereantur, debere illum admonere, illam non esse sufficientem poenam, sed propter eius indispositionem cum illo benignius agi, ne forte ex leuitate poenae occasione sumat peccandi, & fortasse moueatur ad alias voluntarias satisfactiones assumendas. An vero debeat confessor semper in hoc condescendere arbitrio poenitentis dicam commodius in sect. 7.*

Chryso.

Nazianz.

Nauarr.

Satisfactionem hanc consistere in indiuisibili. Vera resolutio.

Nihilominus probabilius censo, hanc satisfactionem aequalem reari in re ipsa esse certam, & in indiuisibili consistere: ita ut, si ad illam non attingat poenitentia imposita, licet parum deficiat, non tollat omnem poenam: si autem excedat, licet parum, aliquid etiam satisfactionis superfit. Ita tenet Petr. Sot. lect. 1. de Satisfactione, & dicit esse communem sententiam antiquorum, sed illi, ut verum fatear, non multum rem explicant, sed absolute dicunt requiri condignam satisfactionem, ut videre est in D. Thom. d. 18. quaest. 1. artic. 1. ad argum. 1. vlt. Alen. 4. p. quaest. 80. memb. 3. artic. 1. ad argum. 1. Palud. d. 20. quaest. 2. Durand. quaest. 1. Probatur autem de ista sententia: quia in diuino iudicio omnia sunt definita in pondere & mensura, neque in illo est latitudo rigorosi, vel medij precij. hoc autem iudicium diuinum est, quanuis per hominem exerceatur: nam homo tenetur iuxta dignam legem & iustitiam iudicare. Nec refert quod non possit indiuisibiliter cognoscere, quae poena, vel satisfactio a Deo taxata sit: quia satis est, ut humano modo iudicet: res autem ipsa habebit effectum, prout in re fuerit conformis legi diuinae, & mensurae a Deo posita. Praesertim: quia regulariter loquendo, nec paulo magis, vel minus attingit homo in suo iudicio illam mensuram: quia pendet ex multis, quae homini ignota sunt, scilicet ex grauitate poenae, quae ex peccato relinquitur, ex modo, quo ex opere operantis, vel operato applicatur satisfactio, ex dispositione poenitentis, & ex aliis similibus, quae vix possunt in vnum coniungi, & ponderari: ita ut humanum iudicium parum discrepet a medio: non est ergo haec commutatio ita posita in arbitrio confessoris,

SECTIO V.

Virum condigna hac satisfactio consistat in indiuisibili, vel habeat aliquam latitudinem.

Dupliciter hoc intelligi potest, vno modo in ordine ad iudicium confessoris, & hoc modo vix

foris, ut si iusta mensura, vel modicum aberret, & que valeat satisfactio, eo quod bona fide posita sit. Hæc autem mensura ex Christi institutione petenda est, supponit enim in opere proportionem aliquam, addit vero certam aliquam legem, qua decreuit, ut per tale opus tanta satisfactio Christi applicaretur, idq; infallibiliter, & mathematice (ut sic dicam) servatur.

4 Et confirmatur primo: nam etiam absolutio, & effectus eius pendet ex dispositione penitentis, & humano iudicio fertur, & nihilominus illa dispositio in re consistit in indivisibili, scilicet, ut talis sufficiat, & non minor, & quantum eunque confessor prudenter existimet esse sufficientem dispositionem, si in re non addit, quantum parum distet, nihil efficiet, in quo nullus dubitat: ergo similiter, &c. Confirmatur secundo: quia in omni alio effectu sacramentorum semper observatur, ut sit maior, vel minor, iuxta dispositionem suscipientis, & quoad hoc in indivisibili consistit: ergo idem erit in presentibus: sed qui maiorem suscipit satisfactionem, hoc ipso melius disponitur ad hunc effectum ex opere operato, cæteris paribus: ergo pro rata, seu proportionem, maiorem fructum consequetur. Nec ratio divina iustitiae pati videtur, ut cæteris paribus, non plus satisfaciatur qui plus operatur, etiam in excessu parva sit inaequalitas, eadem enim servanda est in fructu: quia iustitia divina æquissima est.

5 Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur. Duo debere sacerdotem observare in satisfactione imponenda: Vnum est iusta vindicta, & commutatio poenæ: & quod hoc fareor non posse tam exacte, & equalitatem rei ad rem observare: quia non habet sufficientem notitiam extremorum, ut possit ea inter se comparare, & compensare, sed secundum generales quasdam rationes, pro graavioribus delictis debet grauioribus satisfactiones imponere. Aliud, quod debet attendere est emendatio & praeservatio in futurum, & in hoc potest maiorem servare proportionem: quantum enim difficile sit quantitatem medicinæ ita praeservare, ut neque deficiat, neque excedat: tamen in hoc aliqua maiori notitia extremorum habetur, & ita facilius potest, & cum maiori proportionem servari proportio. Aliquando vero necesse est, ut satisfactio propter aliorum exemplum, vel ad tollendum scandalum fiat, prout olim fiebat frequentius in Ecclesia, & tunc non tam grauitas culpæ coram Deo, quam genus, & modus peccati respectu aliorum considerandus est. Et propter aliquem ex his respectibus posterioribus contingere potest, ut iuste imponatur maior poena, quam forte ad satisfaciendum coram Deo esset necessaria.

SECTIO VI.

Quae opera sunt in satisfactionem imponenda.

1 In hac sectione tractari possunt fere omnia, quae supra de satisfactione ex opere operantis tractata sunt: suppositis tamen iis, quae ibi diximus, breuissimis dubiis restota expediri potest. Primo ergo quaeri potest, an opus iniungendum oporteat esse moraliter bonum. Respondetur, ex suo genere debere esse bonum, & habere cæteras conditiones ipsius operis, quae ad satisfactionem ex opere operantis requiruntur: quia hæc satisfactio sacramentalis habet pro materia opus de se satisfactorium ex opere operantis, quod per virtutem clauui eleuatur: An vero oporteat ab ipso operante bene fieri, ut impleat obligationem sibi impostam, dicam sect. 8.

2 Secundo quaeri potest, an oporteat hoc opus esse externum, vel sufficienter internum. Alens. 4. p. quaest. 84. mem. 2. artic. 1. & Almain. d. 15. quaest. 1. omni-

secundum Almain.

A no requirunt actum externum, vel quia futurus est pars sacramenti, & ideo oportet, ut sit sensibilis, vel quia imponitur per modum humani præcepti, quod non solet cadere in actum internum. Dico tamen, actum externum esse magis accommodatum propter rationes factas, & quia solet esse magis poenalis. Nihilominus vero imponi posse internum actum, ut si poenitens ita ægrotet, ut nihil possit externe facere, iniungi ei potest, ut actum internum habeat. Item, si confessor iudicet valde expedire ad bonum poenitentis, ut aliquoties, vel aliquibus diebus proponat peccatum vitare, hoc illi iniungere. Item, ut ille actus sit pars sacramenti, satis est, ut sit per accidens sensibilis, sicut contritio: sit autem per accidens sensibilis, quando exterius imponitur, & acceptatur. Deinde, cum hoc sacramentum ad internum bonum animæ pertineat, & internam salutem eius intendat, non mirum est, confessorum sicut potest absolueri ab internis peccatis, ita posse ligare ad internum actum, si animæ ita expediat. Denique etiam ipsa contritio eleuatur per virtutem clauui: cur ergo non poterunt eleuari alij actus satisfactorij?

An debeat opus esse externum. Alens. Almain.

B Tertio quaeri potest, an possit imponi poenitentia publica: vocatur autem hoc loco publica poenitentia non omnis illa, quæ coram aliis fit: nam si ita fiat, ut persona maneat occulta, vel causa: quia est res, quæ sponte fieri solet: vel certe, si talis est poenitentia, ut soleat pro leuibus peccatis imponi, de his non est dubium, quin imponi possint. Dicitur ergo publica poenitentia, quæ ita fit coram aliis, ut ex illa colligi possit, confessorem propter graue crimen illum imposuisse. Et est ratio dubij quia videtur esse contra sigillum, propter quod Nauar. in cap. Sacerdos, de Poenit. d. 6 n. 86. & in Sum. ca. 8. n. 10. negat tales poenitentias posse imponi, & iura, quæ de illis loquuntur, intelligenda existimat in foro exteriori. Sed est certe difficilis interpretatio: nam c. 1. de Poenit. & remiss. & clarior Conc. Trid. sess. 24. ca. 8. de Reform. aperte videntur loqui in hoc foro. Vnde communis opinio est, propter peccata occulta non debere imponi poenitentias publicas: quia sunt improporzionata, & contra bonam famam poenitentis: pro peccatis vero publicis imponendas esse: quia ita expedit ad Ecclesie satisfactionem, & exemplum. Ita D. Thom. dist. 14. quaestione prima, articulo quinto, quaestione 1. ad 1. & d. 17. q. 3. art. 4. quaestione 4. ad 4. Alens. 4. part. q. 14. memb. 6. art. 1. alias q. 64. memb. 1. Palud. d. 14 q. 6. Argent. art. 3. Dur. q. 4. Soto d. 19. q. 2. art. 5. Anton. 3. p. tit. 14. c. 17. §. 6. Med. tract. 2. quaest. 44. Ad difficultatem vero de sigillo responderet Durandus sibi, non reuelari peccatum: quia est publicum. Sed contra: quia reuelatur confessio eius, quod non licet ut supra dixi. Melius D. Thom. negat esse reuelationem: quia sit ex consensu ipsius poenitentis. Vt gerbis: quia hic consensus est veluti coactus, & inuoluntarius. Propter hoc dico, si poenitens habeat rationabilem causam ad non acceptandam huiusmodi poenitentiam, & illa non sit necessaria ad tollendum aliquod scandalum, non esse obligandum, sed tunc tantum, quando ad tollendum scandalum, vel ad satisfaciendum Ecclesie in crimine publico, & notorio iudicatur necessariū, vel valde expediens absque graui incommodo poenitentis: qui in eo casu non potest dici cogi, sed rationaliter induci ad id, quod facere debet: reliqua de hoc puncto dicta sunt in superioribus.

Tertium dubium. An possit imponi poenitentia publica.

Nauar.

Tridens. Communis opinio.

D Thom. Alens. Palud. Argent. Durand. Soto. Anton. Medina.

C Quarto quaeri potest, an opus satisfactorium oporteat esse aliquod ex illis tribus, ieiunio, oratione, & elemosyna. Respondetur, non oportet, si hæc in rigore sumantur, esse aliquod ex illis, quantum ad illa reduci debeant aliquo modo. Videantur dicta disputatio præcedenti, & accommodentur hic.

Quartum dubium. An uebeat esse vnus ex illis tribus ieiunio, oratione, & elemosyna.

Quinto, na.

Quintum dubium An possit esse opus satisfactionis.

Nauarr.

Victor. Soto.

Angel. Adrian. Medin.

Sextum dubium An debeat esse opus satisfactionis. D. Thom. Palud. Petr. Soto. Nauarr.

Prima sententia non tenet. Soto. Gabr.

Quinto, an oporteat hoc opus esse supererogationis, vel possit esse ex aliis præceptis, videantur supra dicta in simili. Quibus suppositis respondetur, regulariter imponi opera supererogationis vt maior sit satisfactio, & vt detur poenitentibus occasio plura bene operandi. Nihilominus non est dubium, quin opera etiam præcepta possint imponi: quia, cum illa sint satisfactoria, possunt per claus eleuari, & in idem opus potest cadere duplex obligatio, & sæpe hoc facere expedit, saltem ex parte, propter hominum fragilitatem. De quo bene Nauarrus in capit. 1. de poenitentia, dub. 6. cap. 40. & sequentibus. vbi etiam significat, idemq; alij auctores sentiunt, quando confessor nihil explicat, semper intelligendum esse imponere opus alias non præceptum: quia regulariter hæc est intentio confessoris: ab hac autem regula excipit elemosynam Victoria in Summa numero 205. Soto vero distinguit: 19. quæstione secunda, articulo primo, in fine, distinguit: quia, si obligatio faciendi elemosynam superuenit post confessionem, sufficit illa elemosyna ad implendam poenitentiam, non vero si antecessit. Sed hæc non sunt necessaria ratione fundata: quid enim plus habet elemosyna, quam ieiunium? vel quid refert quod obligatio antecedit, vel sequatur? Totum ergo pendet ex intentione confessoris, quæ tamen ex circumstantiis, & ex materia interpretanda est: nam, si rationabiliter creditur noluisse adeo grauare poenitentem, merito potest credi, quod hæc fuerit intentio eius: quia semper credendum est prudenter, & rationabiliter operari, consultius tamen esset, quando materia talis est, vt cõiuncta aliis præceptis possit graue onus imponere, explicite interrogare confessorem intentionem eius.

Addunt etiam Doctores, si quis recitet rosarium, aut horas eo tempore, quo ex præcepto audit sacram, satisfacere. Ita Angelus verb. Ferie, §. 46. Adrianus quæst. 1. de satisfactione, Medin. tractat. 2. quæstione 48. Et ratio est: quia re vera facit opus impositum, ad quod alias non tenebatur, & quod incompossibile non est cum auditione missæ.

Sexto queri potest, an oporteat hoc opus esse ali-quod particulare, vel per clausulam generalem, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, eleuentur opera ad satisfactionem ex opere operato. Quam quæstionem ponit S. Thomas quodlib. 3. art. 28. & respondet, hoc posterius affirmando, quem sequuntur Palud. supra, & Petrus Soto lect. 2. de satisfactione, & Nauarr. in Summ. ca. 26. n. 24. & de Poenit. d. 6. c. 1. in princ. n. 26. quibus in re pia, & favorabili ego non contradicam: & quia, si peccatum in communi potest esse materia huius sacramenti cur non etiam satisfactio in communi? Ne autem possit inferre aliqua absurda, existimo intelligendum hoc esse quoad satisfactionem pro peccatis in illa confessione confessis: quia de illis tantum fertur iudicium, & ita postquam illa plene fuerint remissa, ille effectus cessabit.

Ultimo queri potest, an possit etiam imponi opus per aliud implendum, sed de hoc dicam infra in sectione nona.

SECTIO VII.

Verum poenitens teneatur satisfactionem sibi impositam acceptare, & acceptam implere.

Nunc dicendum superest de his, quæ poenitens exhibere tenetur. In qua re prima sententia est poenitentem non teneri ad acceptandam poenitentiam, si tamen illam acceptet, teneri illam implere. Ita Soto d. 18. quæst. 1. artic. 1. Gabr. quæst. 1. art. 3.

A dub. 1. & d. 16. artic. 3. dub. 5. Medin. tract. 2. quæst. 5. Syluest. verb. Confessio, quæst. 25. licet quæst. 6. videatur contrarium sentire. Armil. verb. Confessio, §. 29. Nauarr. capit. 26. num. 20. Idem sentiunt Hostien. & Panormitan. in cap. Significauit, de pen. & Panorm. remiss. Fundamentum est: quia peccator in hac vita non tenetur satisfacere pro pœna temporali, sed potest in purgatorium remittere: ergo quoad hoc non tenetur se subdere clauibus. Confirmatur primo: quia alias teneretur acceptare condignam poenam etiam si esset grauissima. Confirmatur secundo ex communi omnium consuetudine, nullus enim confessor negat absolutionem poenitenti eo solum, quod nolit poenitentiam acceptare. Secunda sententia est Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 6. q. 2. ad 2. vbi non solum negat teneri acceptandum, sed etiam, si acceptet, teneri ad implendum; & videtur sane magis consequenter loqui: quia illa acceptatio non est votum, nec promissio, sed tantum simplex propositum: si ergo præceptum confessoris per se non inducit obligationem, nec acceptatio illam inducet.

Conclusio prima.

Dico tamen primo, confessorem obligare posse poenitentem, vt satisfactionem impositam acceptet, & impleat. Hæc conclusio videtur mihi hoc tempore tam certa, vt sine temeritate negari non possit: nam vere aperte definiuit illam Tridentinũ, adeo, vt Victoria existimauerit eam esse de iude. Docuit illam Magister d. 16. & 18. & ibi D. Thom. q. 1. art. 3. quæstione 3. Richard. art. 2. q. 5. Palud. d. 20. q. 2. in fin. & ibi Maior q. 5. & d. 17. q. 2. & ibi Durand. q. 2. & 3. Alenf. 4. p. q. 24. memb. 4. art. 5. alias q. 64. memb. 2. art. 3. & memb. 3. art. 1. Antoninus 3. p. tit. 18. c. 19. §. Durand. 19. Riard. art. 3. pag. 273. Victor. in Sum. n. 240. Soto. d. 20. quæst. 2. art. 2. Petrus. Sot. lect. 2. de Satisfactione, Cano. Relect. de Poenit. p. 5. in fine, Ledesim. d. 2. p. 4. qu. 20. artic. 3. Et colligitur ex Leone Papa Epist. 89. alias 91. habetur in c. Multiplex, de Poenit. d. 1. & ex Concil. Salegustatiensi c. 18. in 3. tom. Conciliorum, Multi, inquit, raris salutem salutis, vt capituli crimine culpam, poenitentiam à suis sacerdotibus acceptare nolint. Fauet etiam c. Omnis viri usque, vbi eodem modo præcipitur fidelibus, vt confiteantur, & poenitentiam impleant: item Concilium Florentinum, inquit, hanc satisfactionem esse imponendam secundum arbitrium sacerdotis: clarior Trident. sess. 14. cap. 8. vbi dicitur, esse in sacerdotibus potestatem ligandi, non tantum ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam, & hoc sensu definit canone 15. datam esse sacerdotibus potestatem, non solum ad absoluendi, sed etiam ligandi.

Et ratione probatur, primò ex supra dictis: quia confessor tenetur satisfactionem imponere: ergo alter tenetur acceptare. Patet cõsequenter: tum quia cum vterque concurrat ad sacramentum, vterque tenetur integritatem eius seruari: tum etiam: quia alias valde inefficax esset potestas sacerdotis vindictiua. Confirmatur: quia vnusquisque tenetur parere iudici recte iudicanti: sed impositio poenitentis est pars iustitiæ: ergo. Et hæc ratio soluit fundamenta contrariæ sententiæ: nam licet in lege naturæ non esset præceptum satisfaciendi, tamen in lege gratiæ, quatenus hominibus commissum est integrum iudicium de peccatis, per eos imponi potest satisfaciendi obligatio: sicut etiam imponi potest poenitentia per modum medicinæ. Vnde obiter colligitur, hanc conclusionem non tantum procedere in annua confessione, sed etiam in quacunque alia, quæ voluntarie fit, præsertim si sit de materia necessaria: quia eadem est ratio de integritate iudicij & sacramenti, & quia per illam confessionem extingu-

gatur obligatio confitendi amplius illud peccatum, & ideo eodem modo potest pro illo satisfactio imponi.

Conclusio secunda.

Qua sit illa obligatio

Obiit.

Solutur.

Probatur secundum partem conclusionis scilicet Palud. Nauar.

Quando obligatur poenitens

Secundo dicendum est, Hæc obligatio ex genere suo est grauis, & sub reatu peccati mortalis, tamen in indiuiduo sæpe potest esse tantum sub veniali. Probatur prima pars: quia materia de se grauis est, & ad religionem, seu iustitiam diuinam pertinens: ergo. vnde colligitur, si confessio sit de materia mortali, & necessaria, & poenitentia imposita etiam sit grauis, tunc esse peccatum mortale, si voluntariè, & sine causa rationabili omittatur. Dices, Quid si poenitens nolit acceptare, neq; absolutionem recipere, sed alium adire confessorem. Respondetur, facile posse hoc à graui culpa excusari, præsertim si poenitenti liberum sit huic, vel alteri sacerdoti confiteri. Nihilominus, si reuera confessor nullam moralem vim inferat, sed conuenientem satisfactionem imponat, non est absolute liberum, nec licitum poenitenti sacramentum inchoatum relinquere, & e fugere sacerdotis iustum iudicium, cui iam semel se subdidit: confessores tamen in hoc nõ debent esse nimis difficiles, sed accommodari oportet fragilitati poenitentis, & leniores illis poenitentias imponere, si grauioribus illi acceptare nolint; præsertim quando non est aperta eorum malicia, & medicinz necessitas in futurum nõ vrget, & ita fiet, vt moraliter vix possit fieri magna dissentio inter confessorem, & poenitentem, si vterque licite, & iuste suo munere fungatur.

Secunda pars conclusionis cõmunis est, tenet Soto d. 20. q. 2. ar. 2. Palud. d. 17. q. 7. conclus. 4. Nauar. in Sum. c. 21. n. 1. constatq; ex generali regula peccatorum, quæ ex leuitate materiz venialia sunt. Erit autem leuis materia, Primo, si confessio sit de solis venialibus. Secundo, si sit de mortalibus iam confessis, vt Soto etiam, & alij notarunt: quia, licet integritas sacramenti non seruetur, tamen est in re valde extrinseca, & secũdaria. Tertio, si omittat partem poenitentiz in confessione mortaliũ, quando pars illa non est grauis. Quarto, si contingat in confessione mortaliũ leuem poenitentiam imponi, etiam si tota illa omittatur, non erit peccatum mortale: quia, licet causa sit grauis, tamen materia præcepti nõ est sufficiens ad tantam obligationem. Et, si illa esset materia partialis, omisio eius non esset mortalis: ergo nec etiam si sit totalis: quia, vt diximus, sola hæc mutilatio sacramenti nõ sufficit ad peccatum mortale. Quinto addit Medina supra, omisionem fore venialem, si confessor noluit sub maiori obligatione ligare, etiam si materia seu poenitentia imposita grauis fuerit: ad quod necessarium erit, vt sacerdos suã intentionem poenitenti declaret. Aliis autem videtur, non esse hoc in potestate sacerdotis, qui in hoc se habet sicut legislator, qui potest præceptum ferre, aut nõ ferre; si autem ferat, nõ est in potestate eius magis, vel minus obligare, sed id necessarium sequitur ex materiz grauitate. Veruntamẽ, licet præcipiens non possit excedere grauitatem materiz in imponenda obligatione: quia hoc superat potestatem, & non pendet ex sola voluntate; tamen satis probabile videtur, posse obligationem moderari infra materiz grauitatem, quia in hoc non se habet tanquam agens naturale, vt necessario agat secũdum vltimũ actum potentiz suæ. Probabilis ergo videtur hæc opinio Medinæ, præsertim cum dixerimus, posse sacerdotem poenitentiam imponere sine vlla obligatione: cur ergo non poterit eam imponere cũ minori, seu leui obligatione, cum hoc pendeat ex voluntate eius, infra limites suæ potestatis?

Sed quæres, quando obligetur poenitens ad hanc satisfactionem, Respondetur, si confessor designat

A tempus, intra illud implenda est, vt constat: quod si forte intra illud nõ impleatur, non statim cessat obligatio, vt contingit in præceptis Ecclesiasticis, quæ si præcipiunt ieiunium, vel missam tali die, illo transacto, cessat: quia intentio talis legis est omnino definire tale tempus: at vero intentio confessoris est satisfactio pro peccatis: circumstantia vero temporis solum est, ne nimia sit dilatio. Quocirca non est intentio sacerdotis, vt statim obligatio cesset, si forte aliqua ex causa differatur. Vnde etiam fit, vt huiusmodi dilatio facile possit à mortali culpa excusari: quia non est contra substantiam præcepti: vnde si rationabilis causa intercedat, interdum etiam poterit honestari. At vero, si confessor nõ designet tempus, obligat, per se loquendo, ad implendam poenitentiam quam primum commode fieri possit: quia & integritas sacramenti, & ratio medicinz, & iusta sententia, quæ secum affert adinnetam executionem, ac denique rationabilis intentio confessoris hoc requirit: sicut ergo votum, quod tempus non determinat, de se obligat statim, ita etiam hæc satisfactio. Sed hæc omnia moraliter intelligenda sunt, non enim statim est iudicandum peccatum mortale in quacunque dilatio, sed quando iudicio prudentis confessoris esset nimia. Quid vero agendum sit, si poenitens oblitus est poenitentiz impositæ, & an ob eam causam teneatur confessionem iterare, dictum est supra inter disputandam de integritate.

Poenitens an possit obligari antequam absoluat.

TAndem potest ex his definiri dubiũ supra hæc remissum, An possit sacerdos obligare poenitentem ad implendam poenitentiam priusquam illum absoluat. Dico enim, si sermo sit de satisfactio- ne tantum, vt est vindicta, nõ posse sacerdotem hoc facere, per se loquendo: quia nullum ad hoc habet ius; nec habet per se causam differendi absolutionem, si poenitens acceptat poenitentiam, & nulla est ratio existimandi non impleturum illam. Et ideo dixi, per se loquendo: nam per accidens ob tale periculum, si verum sit, poterit sacerdos iuste id facere: Sicut etiam potest, & interdum debet, non absolue- re, donec impleat poenitentiam in præcedenti confessione impositam, & inique, ac sæpius omis- sam: quanquam in hoc prudentia confessoris necessaria est. At vero, si propter curationem, & medicinam iudicet confessor id expedire, poterit facere, & poenitens tenebitur obedire: quia tunc potius agit de condigna dispositione ad remissionem peccatorum, quam de satisfactio- ne temporali poena. Vnde illud præceptum à confessore positum, non tam est noua impositio, quam declaratio alienius obligationis, quam poenitens de se habet, vt possit de illius dispositione, & proposito vitandi peccati moraliter cõstare: & ad summum videtur sacerdos tunc modum, seu medium determinare: in quo, si sint plura, & sufficientia, potest se voluntati poenitẽtis accommodare, vt medicinam eligat: quia hoc satis est ad illius curationem, ad quam solam sacerdos ius habet, & potestatem in eo actu, vt declaratum est: Ad fundamenta primæ opinionis iam fere responsum est. Nam, licet stando in solo iure naturæ, & extra hoc sacramentum peccator possit temporalem satisfactio- nem in purgatoriũ reseruare: tamen sup- posita subiectione ad clauas in hoc iudicio tenetur satisfactio- nem impositam acceptare, tum propter integritatem sacramenti, & iudicij: tum maxime, quia in iudicio recto & bene instituto, arbitrium poenæ, vbi illud locum habet, non est commissum reo, sed iudici, apud quẽ est potestas vindicatiua, & coactiua, quæ coactio in præsentis iudicio, eo quod sit voluntariũ, proprie non habet locum: fit autem pro- potest ligando per præcepti necessitatẽ. Ad primam confir-

confirmationem, tum responderetur, confessorum posse quidem obligare ad satisfactionem conditionem, ita tamen ut simul sit medicinalis, atque adeo tolerabilis, & accommodata humanæ fragilitati. Alia difficultatem non habent.

SECTIO VIII.

Utrum necesse sit penitentiam implere in statu gratiæ.

Prima assertio sufficiens in statu peccati mortalis.

Hoc dubium intelligi potest de necessitate ad integritatem sacramenti, vel ad effectum eius. Dico primo, satisfactio exhibita in statu peccati mortalis, sufficit ad integritatem sacramenti, & ad implendam obligationem à confessore impositam. Est communis, & ratio est: quia confessor tantum præcipit opus, & non modum eius. Confirmatur: quia in aliis præceptis, vel sacramentis satis est satisfactio operis, etiam si extra charitatem fiat; neque est hic noua fingenda obligatio sine necessitate. Neque hæc conclusio pendet ex questione de effectu: quia effectus est finis, non materia huius præcepti. Ex hac conclusione inferitur, etiam si ipsum opus satisfactorium malè fiat, ita ut ex aliqua circumstantia peccatum sit, posse sufficere: propter eandem rationem, ut si imponatur ieiunium, & penitens vel in quantitate excedat, vel in fine deficiat, si tamen formam ieiunij seruet, implebit præceptum sibi impositum, propter rationes factas.

Circa alteram partem de effectu, duplex est questio. Prior est, an penitentia facta in peccato mortali statim habeat aliquem effectum ex opere operato. Altera, an saltem habeat illum recedente fictione. Circa priorem aliqui dicunt habere effectum statim. Ita Marfilin 4. qu. 11. artic. 3. Medin. Cod. de Confessione, quæst. de Penitentia iniuncta extra grat. implet. Scotus, & omnes qui de satisfactione ex opere operantis ita opinantur, à fortiori hoc dicunt. Fundamentum est: quia confessor mutat penam purgatorij in tale opus penale, & non præcipit, ut fiat in gratia: ergo per ipsum opus exhibitum satisficit. Confirmatur: quia sacramentum dat effectum non ponendi obicem: sed huic effectui remissionis penæ non ponitur obex propter solum statum peccati mortalis: ergo.

ASSERTIO II.

Satisfactionem in mortali non conferre effectum operanti.

Nihilominus dico secundo, satisfactio impleta in peccato mortali non confert effectum operanti, durante illo statu. Ita dicunt ceteri Theologi, quos statim referam; & probari potest ex omnibus, quibus disput. præced. ostendi, penam non remitti homini existenti in peccato mortali. Unde fundamentum huius conclusionis esse debet, huiusmodi statum esse obicem huic effectui contrarium. Quod patet inductione, tam in aliis operibus, quam in aliis sacramentis, Baptismo, Eucharistia, & similibus: nam, si homo in peccato mortali illa suscipiat, non consequetur remissionem alicuius penæ temporalis, etiam si reatum aliquem ex peccatis prius remissis habeat. Ratio vero reddi potest, quia, cum remissio penæ temporalis sit effectus supernaturalis aliquo modo præparans hominem, seu remouens impedimentum gloriæ, non est cur conferatur, nisi ei, qui est proportionatus ad gloriæ, & amicus Dei. Confirmatur: quia sacramentum non confert specialem effectum sine generali, neque secundarium sine primario, ut in aliis videre est: ergo idem dicendum est de hac parte. Præsertim, cum supra dixerim,

mus, hanc partem etiam conferre augmentum gratiæ. Ex quibus facile soluitur argumentum contrariæ sententiæ: quia confessor non ita commutat penam purgatorij ut ex vi operis impositi remittatur, sed ut per illud applicetur virtus passionis Christi, quæ tamen non applicatur nisi subiecto disposito, & non ponenti obicem.

Circa vltimum vero punctum quidam negant, hanc satisfactionem habere effectum, recedente fictione. Ita Adrian. quæst. 2. de satisfactione in solutionibus argumentorum, Soto dist. 19. quæst. 1. artic. 5. Ledesma secunda parte, quæst. 13. artic. 3. dub. 4. Alij vero non generaliter hoc negant, sed de illis operibus, quæ nullum relinquunt effectum in operante: nam, si relinquunt, ratione talis effectus dicunt recedente fictione, posse remittere penam, ut ieiunia propter debilitatem, quam relinquunt. Ita Paludan. distinctione 15. quæstione prima, articulo tertio, D. Antonius, tertia parte, tit. 14. cap. 20 §. secundo, Syluester, verb. *Satisfactio*, quæstione tertia. Quæ tamen distinctio est impertinens, & sine vilo fundamento. Prior vero sententia est probabilis: quia, cum satisfactio pro pena temporali iterari possit, cumq; aliis modis possit illius penæ remissio obtineri, nulla videtur esse sufficiens ratio ad dicendum, satisfactionem illam aliquid operari ablato obice peccati.

ASSERTIO III.

Hanc satisfactionem habere effectum recedente fictione.

Nihilominus dico tertio, Licet res sit incerta, probabilis videtur, hanc satisfactionem habere effectum, recedente fictione. Ita Caietan. Tom. 1. primo, Opusc. tract. sexto, quæstione vltim. Petrus Soto lectio. vltim. de Satisfactione, Victor. in Summa numero 201. Nauarr. de Penitent. distinctione sexta, capite primo in principio, numero 48. Probat: quia sacramentum Penitentia, si contingat esse informe, habet effectum, recedente fictione, credibile autem est partem imitari naturam totius. Et confirmatur: quia sicut non tenetur quis iterare confessionem informem, ita nec satisfactionem extra statum gratiæ exhibitam: ergo, &c. Fateor rationes non esse adeo efficaces: quia hæc satisfactio sacramentalis non est medium necessarium ad satisfactionem penæ; sicut confessio est necessaria ad remissionem culpæ; & ideo neque est tam necessarium, ut redeat hic effectus. Propter quod dixi, rem hanc esse incertam, coniecturæ tamen sunt valde probabiles, & sufficientes. Considerandū est enim, opus illud satisfactorium, licet, ut est opus operantis, sit mortuum, & ideo nunquam habeat effectum, tamen ut est opus sacramentale, & applicatio meritorum, seu satisfactio Christi, semper esse opus ex se viuum, quodammodo tamen mortificatum ratione subiecti, ut non possit in eo habere effectum secundum præsentem dispositionem. Sicut autem opera mortificata reuiviscunt, & operantur, recedente fictione, ita opus illud incipit habere suum effectum, ablata fictione. Ad hunc autem effectum non est necessaria aliqua actio physica, sed tantum moralis condonatio, quæ sit à Deo intuitu prioris applicationis sacramentalis satisfactio, & ideo impertinens est, quod illa satisfactio aliquem physicum, seu naturalem effectum relinquat in operante, ut habeat effectum, recedente fictione.

Dices, Ergo non solum satisfactio impleta in statu peccati, sed etiam impleta per opus peccaminosum habebit effectum, recedente fictione. Respondetur primo negando sequela: quia, ut illud opus sit satisfactorium, etiam ex opere operato, oportet ut

non sit malum: quia alias non habet congruitatem, ut sit quasi instrumentum morale ad hunc effectum. Secundo, & magis consequenter respondetur, concedendo sequelem: quia Baptismus, etiam si ex parte suscipientis fuerit actus peccaminosus, postea, recedente fictione, remittit totam penam simul cum culpa, & confessio ipsa, vel susceptio alterius sacramenti, & etiã si fiat peccando venialiter, confert gratiam. Denique, illa actio quoad substantiam est bona, & est punitio delicti, & ut sic, est instrumentum quo applicatur Christi satisfactio.

Quomodo peccet penitentis in mortalibus.
Sed quæres, an peccet mortaliter is, qui implet penam iniunctam in peccato mortali. Quod enim peccet venialiter, videtur clarum ex dictis: quia recipit partem sacramenti indigne, & ponit obicem effectui sacramenti. Unde si verum est, quod supra S. Th. dixi, hæc partem dare gratiæ augmentum ex opere operato, videtur plane lequi etiam mortaliter peccare, sicut suscipiendo matrimonium, vel aliud simile sacramentum: quia ponit obicem gratiæ sanctificanti. Et reuera si speculatiue argumētum consideretur, est ratio facta valde efficax, & probabilis: tamen quia hic effectus est valde incertus, & probabiliter etiam negari potest, ideo practice & moraliter non censetur esse imponendum tantum onus sine maiori certitudine: & ita existimo, practice loquendo, hoc non esse peccatum mortale.

Circa alteram partem quæstionis dicendum est, si confessor iusticiauerit expedire, posse imponere penitentiam per alium implendam, & tunc satisfieri præcepto eius, si tali modo fiat: loquitur autem de actu virtutis, qui fit per alium, ut per causam principalem, ut est ieiunium, oratio, disciplina: nam de illo qui fit per alium tanquam per ministrum, ut est, verbi gratia, elemosyna, nulla erat quæstio. Et in hoc sensu docent hæc conclusionem Doctores citati & citandi. Ratio vero est: quia hoc præceptum pedit ex voluntate confessoris, & ideo illi satisficit, si iuxta eandem voluntatem impleatur. Non debet autem confessor sine iusta, & necessaria causa hunc modum satisfactionis imponere: quia nec est adeo in Ecclesia vitatus, nec ad finem huius sacramenti adeo expediens: quia talis satisfactio nec deferuire potest per modum medicinæ, neque ipsa ratio satisfactionis satis certa est, ut iam dicam.

Sufficiat ne satisfactio per alium impleta ad satisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit.

Quæres, an hæc satisfactio per alium facta sufficiat non tantum ad implendum præceptum confessoris, sed etiam ad satisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit. Ledesma supra negat: tum quia ille actus non est pars sacramenti: nam partes sacramenti sunt actus ipsiusmet penitentis: tum etiam, quia non procedit ex virtute clauium, neque confessor potest obligare aliquem ad talem actum. Contrarium vero sentiunt apertè D. Thom. Bonaventura, Durandus, Soto supra, Gabriel distinct. 16, quæst. 2. art. 3. dub. vltim. Alenfis 4. part. quæst. 83. membr. primo, articulo secundo. Et consequenter loquendo, hoc videtur probabilius. Ratio autem reddi potest, primo: quia vnus potest alteri applicare satisfactionem suam, non solum quæ respondet actui ex opere operantis, sed etiam ex operato. Sed hæc ratio non placet: quia fundamentum, quod asserunt, non est semper verum: nam, licet in sacrificio Missæ, quod proprie consistit in actione, & pro alio offerri potest, id verum habeat, tamen in satisfactio- ne, quæ est proprius effectus alicuius sacramenti, ut Baptismi, verbi gratia, non existimo posse alteri communicari, nisi solum ei, qui sacramentum suscipit: eisdem est de remissione peccati, quæ ex priuilegio per modum operis operati conceditur alicui operari. ut est martyrium: quia huiusmodi fructus conceditur solum suscipienti tale sacramentum, vel patienti talem penam, & ideo non est positum in eius voluntate, ut aliis illum communique. Secundo supponit illa ratio, hæc penitentiam per alium factam habere effectum ex opere operato, & hoc est quod inquirimus.

Ratio ergo esse potest: quia, quædo penitentia imponitur per alium implenda, semper intelligitur faciendâ ex motione, & petitione ipsius penitentis, & sic est aliquo modo illius: ergo, ut fit etiã potest esse aliquo modo pars sacramenti ab illo suscepti: ergo etiam potest habere effectum ex opere operato circa illum. Nec enim necesse est, ut penitens per se ipsum exerceat omnes actus, qui sunt partes huius sacramenti. Et eadem ratione potest confessor eleuare per virtutem clauium actum alterius, ut habeat effectum ex opere operato, nõ ex sola intentione proximi operantis, sed ex applicatione, & eleuatione ipsius ministri, ut recte docuit Medin. tract. 2. q. 84. Et ad hoc satis est, ut applicatio, seu impositio sacerdotis fiat in ordine ad sacramentum perficiendum, & vindicandum hoc modo delictum, etiam si propria obligationem non imponat alteri, ut pro altero satisfaciatur: quamquã etiã possit hæc obligatio imponi, veluti ex pacto, vel consensu alterius volentis in se assumere debitum: seu onus satisfaciendi pro alio.

SECTIO IX.

An hæc satisfactio sit omnino personalis, an vero possit per alium impleri.

Posse per alium impleri satisfactio nem.
D. Thom. Palud. Syluest. Alenf.
Communis sententia Theologorum est, posse penitentem implere per alium satisfactionem sibi impositam, præsertim si ille sit impotens, vel alius sit sanctior, & dignior. Ita D. Tho. distinct. 20. q. 1. art. 2. quæstionum. 3. Palud. q. 3. art. 1. Sylu. verb. Satisfactio, quæst. 3. Alenfis 4. part. q. 85. mem. 4. Sed notandum est, duplicem posse esse quæstionem: prima est, an sine voluntate confessoris possit penitens satisfactio per alium implere: altera est, an ex illius voluntate hoc possit fieri. In priori, certum est, non posse penitentem satisfactionem per alium implere: quia hæc obligatio oritur ex præcepto: ergo si confessor præcipit, ut ipse, verbi gratia, ieiunet, non implebit præceptum, etiam si alius ipsius nomine ieiunet. Unde infertur, quando cunque confessor nihil explicat, sed absolute iniungit penitentiam, ut hoc, vel illud faciat, imponere obligationem personalem per ipsum, & non per alium implendam: quia hæc est rationabilis intentio confessoris, & hoc sonant verba eius. Hæc etiam satisfactio, cum simul sit medicina, quoad hanc partem, non potest per alium exerceri. Ac denique, hoc magis est consentaneum naturæ sacramenti. Et in hac conclusione conueniunt fere omnes Theologi in 4. distinct. 20. D. Bonaventura articulo primo, quæstione prima, & secunda, Durandus quæstione secunda, Argentin. quæstione 1. articulo secundo, Richardus articulo primo, quæstione tertia, Gabriel distinct. 16. quæstione secunda, articulo tertio, dub. vlt. Alenfis 4. part. quæst. 24. membr. quarto, articulo quarto, Medina Cod. de Confessione, quæstione de Penitentia tempore quo celebratur, impleta, Caietan. in Summa, verb. Satisfactio, ca. 2. Antonin. 3. part. titul. 14. c. 20. §. 1. Altiusod. libro 4. Summa tractat. sexto, quæst. 2. c. 3. Angelus verb. Satisfactio, numero 3. Armilla, §. 6. Soto distinct. 19. quæst. 2. articulo quarto, Ledesma quæstione decima quarta, articulo quarto, Corduba libro quinto de Indulgentiis, quæstione quinta ad octauum, circa finem quæstionis: nec pro auctores initio citatos contrarium in hac parte sentire.

Fr. Suarez tom. 4.

Vu SECTIO

Bona. Durand. Argent. Richard. Gabr. Alenf. Medina. Caiet. D. Ant. Altiusod. Angel. Armill. Soto. Ledesma. Cordub.

D. Tho. Alenf. Gabr.

Medin.

SECTIO X.

Quis possit satisfactionem impositam tollere, vel mutare.

Distingueret oportet interpretationem, seu declarationem propria mutatione, siue ablatione poenae: interpretatio enim non est actus potestatis, sed prudentiae, vel doctrinae. Et duobus modis habet locum in praesenti: Primo, si quis rationabiliter iudicet clauem à principio errasse, & satisfactionem iniunctam imposuisse, & ideo declarat poenitentem non teneri ad illam implendam: Secundo, si à principio fuit iuste imposita, postea vero poenitens factus est impotens, vel suborta est sufficiens causa, quae illum excuset: tunc enim etiam habet locum interpretatio, & quando causa, seu impotentia reuera est sufficiens ad excusandum, non tenetur poenitens commutationem postulare: quia nulla est ratio talis obligationis, ut in aliis praecipis, & voris patet: nam, quia obligatio cadit in talem actum, vel materiam, & ille actus iam non est moraliter possibilis, vel conueniens, cessat obligatio.

Proprie ergo quaestio versatur, quando reuera durat obligatio satisfactionis impositae, à quo possit auferri altero è tribus modis, scilicet, vel omnino tollendo, vel dispensando, vel commutando in aequalem: & de quatuor personis potest esse quaestio, primo de eodem confessore, secundo de aequali, tertio de superiori, quarto de inferiori.

De eodem confessore tribus modis intelligi potest mutare poenitentiam iniunctam. Primo ex vi eiusdem confessionis, & quasi eandem causam agens, & iudicans. Secundo, iterando iudicium, & confessionem eiusdem peccati. Tertio omnino extra confessionem. Hic tertius modus est semper illicitus, & impossibilis, ut ex dicendis à fortiori patebit. Secundus est verus, ut Soto recte docuit: quia hoc sacramentum, & iudicium circa idem peccatum iterabile est, ut ex statim dicendis constabit: nam quoad hoc eadem est ratio de eodem confessore, & de aequali. Tertio item modo potest idem sacerdos sine iteratione confessionis mitigare poenitentiam, vel commutare, si poenitens ad ipsum recurrat intra tempus adeo breue, ut moraliter possit idem iudicium existimari. Ita Soto dist. 20. quaest. 2. artic. 3. cuius sententia propterea mihi probatur: quia haec res moraliter pensanda est, & iuxta prudentem, & humanum iudicium, & quia saepe ita potest expedire ad bonum animarum, ad quod hoc iudicium ordinatur; & praesertim locum habet, quando confessor causam memoria retinet, & rationalis causa subest mutandi iudicium.

Secundo de sacerdote aequali Soto absolute docet non posse vnum confessorem mutare poenitentiam ab alio impositam, idem Victor. in Summ. nu. 323. quia par in parem non habet imperium, nec iudex eiusdem potestatis potest mutare sententiam ab aequali datam; & in hoc sensu interpretatur capit. Placuit de Poenit. dist. 6. quem textum late supra, disputatione de ministro, interpretati sumus. Sed haec sententia non potest generaliter, & indifferenter, ac omnibus modis intelligi, quod, si Soto in eo sensu loquitur, reuera non loquitur consequenter, nam eadem est ratio de aequali confessore, & de eodem, quando iudicium, seu confessio iteratur. Vnde contraria opinio communis est, quam tenet Sylu. Confessio, primo, q. 27. Angel. Confessio, 6. n. 4. Nauarr. c. 26. nu. 22. Rosell. verb. Confessio sacramentalis, num. 11. & Victor. numer. 211. Ledesm. quaestio. 20. artic. 4. Medina tit. 2. quaest. 45. Imo addit Nauarr. Conf. 26. de Poenitent. & remissio. cum aliis, etiam extra confessionem posse commutare sacerdotem aequalem poenitentiam ab alio impositam; quod tamen falsum esse censeo, ut infra ostendam: nam, si hoc non

Vera & communis opinio. Sylu. Angel. Nauarr. Rosella. Victor. Ledesm. Medin.

A licet superiori, multo minus licebit aequali. Ex tribus ergo modis supra positus, scilicet, in eadem confessione, vel omnino extra confessionem, vel audiendo aliam confessionem, eorundem peccatorum: Prius hic locum non habet, quia, ut supponimus, non agimus de sacerdote, qui confessionem audiuit, & poenitentiam imposuit, sed de alio. Secundus est falsus, & illicitus, ut dixi: superest ergo tertius, qui est verus.

Dicendum ergo est, posse aequalem sacerdotem, audita confessione eorundem peccatorum, poenitentiam ab aliquo alio impositam mutare. Et ratio est, quia licet prior sacerdos sententiam tulerit, nihilominus poenitens eandem causam in iudicium afferre, & nouam sententiam postulare potest: ergo etiam confessor poterit suo arbitratu poenitentiam imponere, iuxta praesentem statum poenitentis, ac si prius non esset causa iudicata: ergo poterit etiam mutare priorem poenitentiam in posteriorem. Probatur haec vltima consequentia: quia non est cogendus poenitens duplicem satisfactionem condignam pro eodem peccato implere: nam sicut non iudicat Deus bis in idipsum, ita neque vult duplicem satisfactionem imponere. Confirmatur: quia haec potestas, & iurisdicatio clauium non est data propter confessores, sed propter poenitentes, & licet sint aequalis potestatis, nihilominus illis conceditur, ut possit vnus ferre sententiam in eadem causa, quae ab alio iudicata est: ergo, si expedit ad bonum poenitentis, non est huic potestati contrarium, sed potius valde consentaneum, ut possit vnus commutare poenitentiam ab alio impositam. Denique quod ministri huius sacramenti sint veluti materialiter diuersi, per accidens est, haec autem potestas, semper est eadem; vnde, sicut ad perfectam potestatem eiusdem sacerdotis, & ad perfectum huius sacramenti usum, maiusque remedium animarum pertinet, ut vnus & idem sacerdos possit iterata confessione mutare medicinam, ita in diuersis sacerdotibus aequalem potestatem habentibus idem existimandum est.

Vnde infero, non solum posse confessorem huiusmodi mutare vnam poenitentiam in aliam aequalem, sed etiam in mitiorem, si ita prudenter iudicauerit ad bonum animae poenitentis expedire. Imo etiam interdum poterit omnino tollere, & vel leuissimam, vel nullam imponere, ut si poenitens accedat multo melius dispositus, magis contritus, & aliis viis satisfecisse intelligitur, si forte indulgentiam aliquam lucratus est, & propter curationem non intelligitur indigere tali medicina. Denique quando cumque omnibus pensatis seruata iustitiae & equitate prudenter iudicauerit, id satis esse ad digne absolendum poenitentem, id poterit facere, & poenitens, tuto se illius sententiae conformare.

Dices, per hoc fieri iniuriam priori confessori: quia ille iuste tulit sententiam, & praecipuum iustitiae ergo non potest iuste reuocari ab alio aequali. Item, iam causa fuit priori commissa, & poenitens ab illo obtinuit remissionem culpae: ergo illi debet omnino parere in executione poenae. Respondetur nullam hic interuenire iniuriam sacerdotis: tum quia iudicium hoc ad bonum rei ordinatur, non in aliquam utilitatem iudicis: tum maxime: quia hoc iudicium tale est, ut super eandem causam sit iterabile in maiorem poenitentem, idque non per modum appellationis: seu per modum noui iudicij equalis praecedenti, & ideo nec posterior iudex faciat iniuriam priori, nec, è conuerso, imo illa temporis antecessio accidentaria est, neque hic acquiritur specialis iurisdicatio quasi per anticipationem, seu praetor occupationem iudicij: quia reus à principio habet hunc fauorem, ut saepius possit iudicari, si velit, & aequaliter à singulis, si aequales habeant iurisdictiones. Vnde posterior non reuocat proprie sententiam prioris, sed suam

pro-

profert, & poenitenti liberum est, quam voluerit poenam eligere.

An superior possit mutare poenitentiam.

Tertio ex dictis facile est, colligere quid dicendum sit de superiore. Quidam enim etiam superiori hanc negant potestatem, quia in hoc foro nullus videtur esse superior, sed omnes esse aequales: quia omnes videntur potestate a Christo accepta, & vt ministri eius absoluunt. Et ideo absolute a quocumque data est definitiua, & vltima, & a nullo potest mutari. Nihilominus contraria sententia est vera, & communis: sed, vt explicetur, notandum est in superiore duplicem esse posse potestatem, vna est ad ministrandum hoc sacramentum, altera est potestas ad remittendas poenas peccatorum per indulgentias, quae potestas non est semper communis cum prima, sed aliquando. Quando ergo superior non habet potestatem concedendi indulgentias, solum potest mutare poenitentiam ab inferiori confessore impositam audita confessione, & seruata equalitate huius iudicij, vt docent Soto d. 20. q. 2. art. 3. in fine, Sylu. Confessio, primo, q. 27. Rosella, q. 2. quauis Victoria Ledesim. & Nauarrus supra dicant, etiam extra confessionem posse superiorem poenitentiam iniunctam auferre, vel mutare, quod mihi non probatur: quia eadem est potestas ligandi, ac soluendi in hoc foro: sicut ergo superior non potest ligare, seu imponere poenitentiam sacramentalem extra confessionem, ita non potest ab illa soluere, seu illam mutare: quia vterque est actus clauium, & ad huius sacramenti ministerium pertinet. Item vterque est actus ordinis, & iurisdictionis, & iudicij, qui actus non potest exerceri causa inaudita. Denique, vt sit commutatio, necesse est, vt poenitentia sacramentalis auferatur, & alia sibi imponatur: sed non potest sacramentalis imponi poenitentia extra hoc sacramentum: ergo nec commutatio potest extra illud fieri: ergo multo minus abrogatio, seu totalis poenitentiae ablatio.

Sylu. Rosella.

Quod autem in confessione, audita: scilicet, accusatione eorumdem peccatorum, possit superior huiusmodi mutationem facere a fortiori constat ex dictis de confessore aequali. Neque contra hoc procedit ratio contrariae sententiae: quia licet de mus superiore in hoc actu non esse superiorem formaliter, sed aequalem, nihilominus dicemus eum habere hanc potestatem, & maiori aliqua ratione concedendam esse superiori: quia in potestate iurisdictionis potest aliquo modo excedere, & ad eius munus maxime pertinet iudicare oves in hoc sacramento, & futurares poenitentias imponere: & ideo licet ab inferiori hoc etiam fiat, non tamen potest impedire subditorum, quin ipse possit providere animabus subditorum in eodem foro, prout magis ipse expedire censuerit. Neque est eadem ratio de absolutione a peccatis, & de poenitentia iniuncta, absolutio enim statim habet effectum, si clauis non errat: si autem errat, non solum a superiore, sed a quocumque habente potestatem corrigi potest: at vero executio poenitentiae impositae pendet in futurum, & ideo quauis clauis non errauerit, sed iuste fuerit imposita, & habuerit effectum obligandi, nihilominus quoad executionem est locus mutationi: quia potest causa iusta subesse, & intra iustitiae latitudinem potest esse arbitrium.

Quomodo in potestatem concedendi indulgentiam possit poenitentiam remittere. D. Tho. Albertus. Magn. Bonau. Rich. Palud. Dur.

At vero si superior habeat potestatem concedendi indulgentias, per illam potest remittere poenitentiam impositam. Quod dupliciter fit: Primo concedendo plenam aucta indulgentiam: nam per illam extinguitur obligatio aliarum satisfactionum. Secundo, quando expresse conceditur remissio huius, vel illius partis poenitentiarum iniunctarum. Ita Sancti Thom. in 4. questione prima, art. 3. & 4. & ibi Albertus Magnus articulo 17. ad quintum, Bonauentura p. 1. articulo primo, questione secunda. Richard. articulo tertio, q. prima, Palud. questione quarta, Durand.

Fr. Suarez tom. 4.

quae. quarta, Argentin. articulo quarto, Alensis 4. part. q. 83. memb. primo articulo primo. Adrian. questione de Indulgentiis, Nauarr. de Indulgentiis, not. 3. n. 43. & 44. Soto 4. distinct. 21. questione prima, articulo primo, Gabr. dist. 45. questione tertia, articulo secundo, conclus. 2. Ledesim. 2. part. quae. 27. articulo 2. Syluester, verbo Indulgentia, qu. 9. Angelus, verbo Indulgentia, s. 1. late Cordub. lib. quinto de indulgentiis, quae. 3. 9. & 10. Intelligendum est autem, per has indulgentias remitti poenitentias impositas, vt satisfactiuae sunt, non vt medicinales: quia indulgentia non datur in destructionem, sed in aedificationem animae: tollere autem remedium, se medicinam curatiuam peccati esset in magnum animarum detrimentum: non est ergo haec intentio concedentis indulgentiam, neq. ad hoc habet potestatem, sed solum ad remittendam vindictam. Cum enim sit vultu dispensator supremi iudicis, & Domini, potest remittere poenam debitam pro aliqua culpa, & consequenter tollere obligationem satisfaciendi pro illa. De qua re latius in materia de Indulgentiis. Ex dicta vero limitatione obiter intelligitur, his temporibus, considerato modo, quo poenitentiae imponi solent, raro, vel nunquam sicere omittere poenitentias impositas propter indulgentias: quia reuera imponuntur leuissime poenitentiae, & quae vix sufficiunt per modum medicinae.

Argent. Alens. Adr. Nauarr. Soto. Gabr. Ledesim. Syluest. Angel. Cordub.

Vnde etiam expediri potest incidens dubium, si interdum aliquis bona fide existimet se satisfecisse pro peccatis commissis sufficienter per alia opera, vel poenas, quas pro Christo sustinuit, an hoc ipso cesset obligatio implendi alias poenitentias illi impositas, quas cum culpa, vel forte sine illa ante implere non potuit. Respondetur, si sola ratio satisfactionis consideretur, & reuera supponatur omnino alias satisfecisse, & hoc sibi satis constat, moraliter loquendo, cessare praedictam obligationem: quia nemo tenetur idem debitum bis soluere, & quia cessante intrinseco, & aequato sine legis, cessat eius obligatio. At vero considerata ratione medicinae, moraliter loquendo, semper manet haec obligatio. Praesertim quia vix potest constare aliquem adaequate satisfecisse pro suis peccatis.

Dubium enodatur.

Vltimo loco dicendum est de inferiore sacerdote, quatenus talis est, an possit poenitentiam a superiore confessore iniunctam commutare. Dico autem, quatenus talis est: quia vt in superioribus dixi, in confessione & absolutionis munere omnes sacerdotes videntur aequales quia proferunt vltimam, & definitiuam sententiam, vt ipsius Christi immediati ministri: quod est verissimum respectu eorum peccatorum, in quae habent propriam iurisdictionem, a quibus per se absoluunt. Solum ergo habet locum questio in peccatis reseruatis, in quibus inferiores sacerdotes iurisdictionem non habent: & ideo etiam in ordine ad munus confessionis inferiores manent in ordine ad iudicium ferendum de talibus peccatis. De illis ergo dubitatur, an postquam superior directe absoluit de illis peccatis, & pro eis satisfactionem imposuit, possit aliquis sacerdos inferior illam poenitentiam commutare.

An inferior possit poenitentiam in maiorem mutare.

Ratio autem dubitandi esse potest: quia illa peccata iam non manent reseruata: ergo potest talis sacerdos de illis absoluere: ergo & poenitentiam pro illis imponere: ergo & alteram poenitentiam in haec commutare. Probatum haec vltima consequentia (caetera enim clara sunt) quia nemo tenetur duplicem satisfactionem pro eisdem peccatis exhibere: ergo eo ipso quod alter sacerdos poenitentiam alicui pro talibus peccatis imponit, liberat hominem ab obligatione alterius poenitentiae implendae, quae est virtualis quaedam commutatio. Confirmatur primo: quia in votis reseruatis, postquam superior commutauit votum sibi reseruatum in aliam materiam, potest inferior, seu quilibet habens potestatem

Ratio dubitandi.

Vu 2 coru

commutandi ordinaria vota, etiam illam materiam commutare: ergo similiter in presenti. Confirmatur secundo ex Glossa per textum ibi in cap. *Antecedens*, 50. distinct. & in capitul. *Tempora*, decimosexto, quæstion. 97. dicente, Pœnitentias omnes esse arbitrarías, ideoque posse Episcopum minuire peccatam, quam induxit Papa. Idem habet in capit. *Latorum*, 33. quæstione secunda, illudque extendit ad clericum, inferiorem, vt possit minuire pœnitentiam ab Episcopo impositam. Quas Glossas ita intellexit, & sequutus est Nauar. vnum tantum referens in Confil. 25. de pœnitent. & remission. & Confil. 3. alias 6. de Voto. Et in eandem sententiam videntur inclinare Medina, & Ledesma, citatis locis.

14
Dubij respo-
lucio.
Cardin.
Angel.
Tabien.
Syluest.
Armit.
Surrac.

Nihilominus contrarium sentiendum est, per se, & iure ordinario loquendo quod tenuit Cardin. in Clement. vii. de pœnitent. & remissionibus, & sequitur Angelus verb. *Confessio*, 6. nu. quarto. Tabiena *Confessio*, 2. num. 21. Syluester, referens Monach. & Rayner. *Confessio*, primo, quæst. 27. & sequitur Armil. n. 30. Idem habet Turrecem. in dict. cap. *Tempora*, n. quarto. Ratio est, quia inferior per se non habet iurisdictionem in illa peccata, præcise spectata, quatenus talia sunt, seu quatenus commissã sunt: ergo non potest pœnitentiam mutare, quæ pro illis sic spectatis imposita fuerat. Antecedens constat: quia illa peccata sic spectata, sunt reseruata, vt supponimus, & ideo dixi consideranda esse præcise vt commissã: quia si considerentur, vt iam remissa per superioris absolutionem, sic quidem iam non sunt reseruata: tamen vt sic non iudicantur simpliciter, sed secundum quid: scilicet, ex suppositione prioris iudicij. Vnde probatur consequentia: tum quia non potest pœnitentiam pro peccato iniungere: nisi qui potest de peccato absolvere: agimus enim de pœnitentia sacramentali, quæ ab eadem iurisdictione & potestate ligandi ac solvendi manat, & coniuncta est absolutioni, vt accessorium principali, tum etiam quia non potest sacerdos pœnitentiam impositam mutare, nisi ab iam imponendo pro peccatis: si autem peccata sunt reseruata, non potest pro illis pœnitentiam imponere, nisi ex suppositione prioris iudicij: debet ergo illa secunda impositio fieri absque detrimento & iniuria prioris iudicij: illud ergo firmum & stabile manere debet: non ergo habet ibi locum talis commutatio. Confirmatur primo, quia pœnitentia illa à superiore imposita, includit quoddam præceptum à superiore impositum, quatenus superior est: sed inferior non potest mutare præceptum superioris per se loquendo, ac iure ordinario: ergo. Confirmatur secundo ex dictis capitulis, *Antecedens*, *Tempora* & *Latorum*. Vbi Pontifex specialem concessit Episcopo facultatem ad minuendam pœnitentiam à se impositam sub certis limitationibus & conditionibus: ergo signum est (quod etiam notauit Glossa in dict. capite, *Latorum*) hoc non posse inferiorem facere iure ordinario: sed solum quatenus à superiore intelligitur concessam.

15
Resolutio
data limi-
tatione.

Addunt vero auctores citati limitationem, nisi necessitas, vel pia utilitas aliud postulet: nam tunc præsumitur hanc esse intentionem superioris: propter quam limitationem nos addimus illas duas particulas, *per se*, & *iure ordinario*. Vnde est notanda in primis differentia inter peccata reseruata, & non reseruata, quod in non reseruatis potest fieri commutatio per se, & ex vi propriæ iurisdictionis, & non solum ex virtuali commissione, aut interpretatiua voluntate prioris confessoris. Et licet forte requiratur aliqua rationalis causa, vt id fiat ordinate, & ne detur occasio pœnitentibus facile proerandi huiusmodi commutationes: non oportet autem vt tanta sit causa, quæ moralem necessitatem inducat, aut quæ obliget ad coniecturam faciendam de

alterius confessoris voluntate. In casibus autem reseruatis oportet hanc necessitatem interuenire, & coniecturam moralem facere de superioris voluntate: nam si sit commutatio, per potestatem ab illo delegatam fit, & aliter fieri non potest: & hoc probant rationes factæ. Et ideo est secundo considerandum, ad hanc commissionem interpretandam necessarium in primis esse, & difficile sit recursus ad superiorem seu prælatum, qui pœnitentiam imposuit: nam alias nec est vera necessitas, nec potest rationabiliter præsumi voluntas eius. Item, vt hæc præsumptio, præsertim in materia iurisdictionis delegandæ, sufficiens sit, oportet vt sit, vel in iure, vel in consuetudine fundata, non potest alio modo B ita fundari: ergo. Explicatur: quia ob hanc causam in dictis iuribus hæc facultas specialiter conceditur Episcopis, quia recursus ad Summum Pontificem ordinarie difficilis est: ergo satis est quod per similitudinem rationis, extendatur ad casus necessarios, in quibus non patet aditus ad superiorem: nec alia consuetudo allegari aut præsumi potest, nec esset rationalis: quia hæc est veluti quædam epicheia, quæ hanc conditionem in primis requirit. Quando ergo recursus difficilis est, & alias vtget moralis necessitas, tunc locum habere potest dicta limitatio. Quæta vero esse debeat hæc necessitas, arbitrio prudentis relinquatur: existimo autem illam sufficere, quæ satis est, vt Episcopus, vel Prælati dispenset in ordinariis præceptis Ecclesiasticis.

Ad rationem ergo in contrarium ex dictis patet responsio, dicimus enim inferiores sacerdotes habere iurisdictionem in talia peccata solum quasi per accidens ex suppositione prioris absolutionis: & ideo non potest de illis ita libere iudicare: ac si antea non fuissent iudicata, sicut potest facere in peccatis non reseruatis, & ideo non potest, per se loquendo, immutare prius iudicium de illis peccatis factum, sed tunc solum quando ad hoc intelligitur accipere potestatem ab ipso superiore. Nō intelligitur autem illam accipere ex vi solius prioris absolutionis, alioqui enervaretur fere omnino fructus reseruationis: quia statim data absolutione posset alius sacerdos iterum absolvere, pœnitentiam minuendo aut immutando. Est optimum simile, quod totam sententiam confirmat, de peccatis mortalibus semel confessis, nam licet simplex sacerdos possit de illis absolvere, sicut de venialibus, non tamen potest pœnitentiam à legitimo confessore pro illis iniunctam immutare, vt omnes fatentur: ita ergo in presenti. Ad confirmationem Nauarri supra negat antecedens, imo facilius putat posse pœnitentiam pro peccato reseruato à superiore impositam commutari ab inferiori, quam materiam voti. Sed ego valde probabile censeo illud antecedens: sed quia illud est alterius considerationis, quidquid de illo sit negandam censeo illationem, & consequenter asserendum facilius posse materiam voti, quam pœnitentiam iniunctam commutari. Ratio differentis est: quia per commutationem voti non imponit superior aliquod præceptum, sed tantum mutat materiam, & obligatio relinquatur ex vi voti, quod iuxta materiam qualitatem subicitur potestati commutandi, vel dispensandi, quam habet sacerdos. Quando vero superior pœnitentiam imponit, sua auctoritate & iurisdictione imponit specialem obligationem & præceptum, quod ab inferiori mutari non potest. Ad secundam confirmationem. Glossæ illæ intelligendæ sunt iuxta ultimam limitationem positam, alioqui earum sententia non esset admit-
tenda.

TERTIA